Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Unde AMOS dicit: dum spiritus eam apto continentie bello impetit. Verbum inquit dei habeo ad te: quia vera dei dilectione te impeto. Qui statim de throno surgit: quia divini timoris et amoris impulsu sedem iniquitatis carnalitas deserit. Aoth sinistram manum extendit: dum spiritus active vite laboribus ieiuniis et vigiliis fortiter insistit. Sicam de dextro femore tollit: cum verbum dei de eternorum delectatione et a celestium contemplatione extrahit. In ventrem eius eam infigit: dum memoriam carnalitatis divini verbi ruminatione transfigit. Quod enim per ventrem memoria designetur, IEREMIAS protestatur. Ventrem inquit meum doleo, ventrem meum doleo. Capulus ferrum in vulnere sequitur: quia divini verbi intellectus ferrum timoris in vulnere amoris subsequitur. De quo vulnere amoris sponsus sponse loquitur in canticis. Vulnerasti cor meum sponsa, vulnerasti cor meum. Capulus pinguissimo adipe stringitur: quia sacre scripture intellectus carnalitatis pinguedine retunditur. Unde est illa greca sententia. Pinguis venter non gignit sensum tenuem. Gladius non educitur: sed in corpore relinquitur: dum verbum dei carnalitati non subducitur, sed continue meditationis usu ei fortiter infigitur. Statim per secreta nature alvi stercora prorumpunt: quia per secretum confessionis peccata produntur: que quasi stercora fetentia in conscientia delitescunt. Idcirco autem secretum confessionis secretis nature comparatur: quia sicut secreta nature decore vestium conteguntur: ita secretum confessionis honore silentii undique circumdatur et protegitur. Unde apostolus loquitur. Que inhonesta sunt nostra, his honorem habundantiorem circumdamus. Honesta autem nostra nullius egent. AOTH diligentissime hostia cenaculi claudit, dum spiritus sollicita custodia exteriores sensus munit: quibus ad cordis penetralia introitus patere consuevit. Unde SALEMON dicit. Omni custodia serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Sera ea obfirmat: dum divini timoris et amoris instantia sensus carnis obdurat. Sic ipse per posticam egreditur: quia sic ipse spiritus obfirmatis carnis sensibus per occultas rimas contemplationis ad celestia evehitur. Servi regis ingrediuntur: dum vel maligni spiritus vel viciorum fantasmata, que carnalitati obsecuntur, ad interiora cordis irrumpere conantur. Vident clausas fores cenaculi: quia sentiunt sibi sensus exteriores precludi: quibus ad cordis penetralia solebant ingredi. Dicunt: cum inscii cogitationum per motus exterioris hominis statum interioris coniciendo discutere contendunt. Forsitan inquiunt purgat alvum in estivo cubiculo: scilicet carnalitas memoriam suam exonerat in estuanti cordis secreto. Diu expectant: quia vel maligni spiritus vel viciorum forme apertionem cordis instanter desiderant. Donec erubescant: quia confusio viciorum est palma virtutum. Vident quod nullus aperiat: quia dolent quod exteriorum sensuum consensus sibi non pateat. Unde claves tollunt et aperiunt: quia per occulte suggestionis violentiam statum cordis explorare contendunt. Inveniunt dominum suum iacentem mortuum in terra: dum a spiritu tenente loca superiora conspiciunt dominam suam carnalitatem conculcari quasi stercus in platea. Mortua enim iacet: que in sensibus carnis spiritui subiacentibus nichil iam